



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor  
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum  
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliæ Consultor,  
Coordinatus, Seu Omnes ...**

**Diana, Antonino**

**Lugduni, M. DC. LXXX.**

1. An absque assensu Summi Pontificis septem Germaniæ Electoribus possit octauus addi? Ex quo infertur, an potestas eligendi Imperatorem sit largita septem Electoribus Germaniæ à Summo Pontifice? Ex ...
- 

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76442](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-76442)

Nicolaus Papa, Episcopos non esse consecrandos, nisi post electionem, vel consensum Cleri, & populi. *Can. Episcopos 63. dñs. vbi Cleri, Plebisque consensus requiritur; ne Plebs iniuria Episcopum non optatum contemnatur, aut odiat. Can. final. ibidem. Can. in nomine 23. dñs.* Sed quia Vulgus aliquando per acclamacionem ignoros, seu populares, nulla habita ratione probitatis, eligebat; id est hac usurpatione fuit priuata, & prohibita, ne deinceps electioni interferet, & sic tertium tempus, successit, in quo Reges, & Princeps Ecclesiae grati fuerunt, & erga illum bene meriti. Id est Papa Carolo Regi Francorum & Imperatori, facultatem eligendi Summum Pontificem permisit; ac omnes Archiepiscopos, & Episcopos per suas Provincias ad eodem Inuestituram acciperet, definitum. *Can. Adrianus, & seq. 63. dñs.* Et quia plurimas perturbationes in Ecclesia imò ruinam Sanctæ Religionis oriri cognovit Gregorius, id est in Synodo generali hoc prohibitum fuit in hæc verba: *Decretum, ut nullus Clericorum, Inuestituras Episcopatus, vel Abbatia, vel Ecclesia, de manu Imperatoris, vel Regis, vel aliquis Laice persona, Viri, vel Femina suscipiat. Quod si præsumserit; recognoscatur Inuestituras illam Apostolica auctoritate irritam esse; & se usque ad dignam satisfactionem subiacere. Can. Quoniam Inuestituras 16. q. 7. Et sic. Quartum tempus*

aduenit in quo Elección omnino Secularibus Principibus fuit prohibita; fuique statutum, vt quicumque electionem Ecclesiastici ordinis tentauerit, Anathema sit, donec obediatur, & consentiar in quidquid Ecclesia de electione proprij Præsulis se velle monstrauerit. *Can. 11. & seq. 63. dñs.* Quintum tempus proximum fuit, in quo Canonicis, & Religiis simul concessæ sunt electiones Episcoporum, & Archiepiscoporum. *Can. Sacrorum 6. dñs.* Quod si, exclusis Religiis electio fieret; irrita haberetur. *Can. Obrenibus, ibid. & Panormitanus in cap. 1. de Electionib.* Postea Concilium Basiliense approbavit, vt vnaquaque Ecclesia, aut Collegium, seu Conuentus sibi Prælatum eligeret; vt in *Pragmat. Sanctione* patet, *Rubr. de Electionib.* Verantamen, quia Canonicis, & alij Electores abutebantur, & propter abusum perditur Priuilegium; id est electionibus fuerunt priuati. Sextum tempus est horum Concordiorum, in quo datur nominatio Regi Francie de Archiepiscopatibus, & Episcopatibus, Abbatii, & Prioratibus, vel electiis, & redditum est ad Tertium tempus supra descriptum. Cauendum erit tamen ne per abusum Omega aliquando reuoleat ad Alpha. *Can. Ab Exordio. 35. dñs.* Hucusque Rebus. Quid ad hæc respondet *Anonymous.* Utinam illud Psalmi: *Omnis iniurias oppilabit os suum.*

TRACTATVS DECIMVS,  
HISTORICO-THEOLOGICVS,  
D E  
NUMERO ELECTORVM  
IMPERATORIS.  
*Non augendo, vel minuendo, inconsulto Summo Pontifice.*

RESOLVTIO PRIMA.

*An absque assensu Summi Pontificis, Septem Germania Electoribus pessi Octauus addi?*  
Ex quo inferitur, an potestas eligendi Imperatorem sit largita Septem Electoribus Germanie à Summo Pontifice? Ex part. 10. tract. 4. Ref. 1.

S. 1.  Vt teneret potestatem eligendi Imperatorem non fuisse largitam septem Electoribus Germanie à Summo Pontifice, ad questionem propositam affirmatiꝝ responderet: & ita docent ex hæreticis nostri temporis Theodoros Reiking de Regimine Seculari, & Ecclesiastico, lib. 1. claff. 4. cap. 7. num. 3. Andreas Kichen de Saxonico non provocandi iure cap. 1. num. 8. & 9. Thomas Paumester de iuris divisione, lib. 2. cap. 2. num. 29. Daniel Ottonus de iure publico, cap. 10. & Girlacus Bexdorffius in cap. 1. Auct. Bull. Caroli IV. n. 14. vbi sic assertit: Cum vero dicatur, Electores ad electionem iuxta antiquam consuetudinem debere proficiere; hinc non parum suspicuum redditur, quod vulgo fertur septem Viatorum institutionem per aliquam, tempore Ottonis III. & Gregorii V. vcl. vt alij Friderici I. Tom. IX.

& Gregorij X. latam Constitutionem, factam esse; haudque leuis ponderis argumentum pro opinione eorum insurgit, qui existimant, id non tam expressa, vel speciali aliqua Constitutione institutum, quam antiqua, & sensim, tacito vel expresso ordinum consensu, inualere cepta consuetudine introductum fuisse. Quicquid autem sit, si Principibus Electoribus eligendi Potestas per certam Constitutionem aliquam tributa fuit unquam; eam non à Gregorio V. Pontifice, sed ab Ottone III. Imperatore factam fuisse necesse est. Ita illecepi etiam addenouissimè Carolum Vombagen de iure publico, lib. 2. cap. 1. n. 9. sic aientem: Maior inter Doctores dubitatio est, cui primordia, & institutio huius Collegij Electoralis adscribenda veniat: An Imperatori Ottoni III. & Gregorio V. Pontifici tanquam hoc in passu, consiliarie, & sua sorti Imperatoris vt fuit communis opinio: An vero, secundum alios, Friderico II. & Gregorio X. Papæ, vel alijs Imperatoribus ab Hæreticis denominatis: An potius non tam expressa, & specialis alienius Constitutione illud Collegium, quam antiqua, & sensim, tacito ordinum consensu, approbata consuetudine introductum; & tandem à Carolo I. V. & reliquis Imperij Proceribus Auct. Bulla confirmatum sit? Quod verius videtur; & expressus

Q q 2 expressus

expressis probatur verbis in cap. i. in prin. & ipse fastetur Pontifex Innocentius III. in cap. Venerabilem de elect. Ita Vonhagen. Et quidem inter hereticos opinio magis communis est, hanc potestatem septem Electorum non Constitutione Imperatoria, vel Pontificia introducere esse, sed tacito consensu Principum, ac ordinum Imperiorum interveniente paulatim, tempore immemorialis, & ita docet, praefer Gondolphum, & Tombagen vbi supra Benedictus Crapzonius in legem Regiam Germanorum c. 10. sect. 5. n. 20. & in Synopsi iuris Flandris post diff. 8. q. 1. n. 12. Antonius Colerus in sectionibus Iuangularibus scel. 1. Thesi 46. & 47. Limneus de iure publico lib. 3. c. 1. n. 7. & seqq. Georgius Schorbornerius in Politica lib. 1. c. 32. Dominicus Arumaeus in aream Bullam Caroli IV. Discursu 6. Thesi 3. Martinus Romelinus eadem Bulla, discr. 5. c. 4. Thesi 19. & Petrus Fitzza de nobilitate, concl. 18. lit. D. Vide etiam de hac materia Iustum Sinolet in Collegio publico, de statu Rei Romanae, discr. 2. Thesi 6. Besoldum, quando erat hereticus de Regia Successione, lib. 2. discr. 3. Thesi... & seqq. Hammon in Dissertationibus Politicis, discr. 3. n. 48. Matthiam Stephanum de Iuris diu. tom. 1. lib. 2. p. 1. c. 5. num. 2. & seqq. & Petrum Heigium in QQ. Saxonici, p. 1. q. 3. & 4. cum aliis penes ipsos.

## RE SOL. II.

*Opinio negativa proponitur, & probatur, tum ex iste Canonico, tum etiam auctoritate Historiorum, & Diplomatibus ipsorum Electorum; septem Electores Germaniae potestatem eligendi Imperatorem à Sancta Romana Sede accepisse. Ex part. 10. tr. 4. Ref. citia 2.*

Sup. hoc & §. 1. Serendum est firmiter ex Iure Canonico, & auctoritate fere omnium Doctorum Catholicorum, Septem Electores Germaniae potestatem eligendi Imperatorem à Sancta Romana Sede accepisse. Probatur primum, nam Innocentius III. in cap. Venerabilem de elect. aperte testatur: In Germanis Principibus ius, & potestatem eligendi Regem, in Imperatore postmodum promouendum, recognoscimus, ut debemus, ad quos de iure, & antiqua consuetudine noscitur pertinere, praesertim cum ad eos ius & potestas huiusmodi ab Apostolica Sede proueniat. Et Clemens V. in Concilio generali Viennensi, ut refertur in Clem. Romani de iure iurand. Ecclesia, inquit, Romana à Gracis Imperium transluit in Germanos, & ab eadem ad certos eorum Principes, ius & potestas eligendi Regem, in Imperatore postmodum promouendum peruenit. Hoc idem testantur Pontificij Iuris Interpretates, Innocentius, Hohenfels, Joannes Andreas Panormitanus, Cardinalis & ceteri partim in cap. Venerabilem partim in Clem. Romani, citati; S. Thomas in Opuso. de Regimine Principum, lib. 3. cap. 19. Augustinus Triumphus in Summa de Potestate Ecclesie, ques. 35. art. 2. Aluarus Pelagi, lib. 1. de Plantâ Ecclesie art. 13. & 21. 37. & 41. Antoninus, part. 2. Historia titul. 17. capite 4. Idipsum quoque, Historici iradiderunt, Blondus, Decadis 2. lib. 3. Platina in vita Gregorij V. Io. Villanus lib. 4. Historie, cap. 1. Aeneas Sylvius in Epitome Blondi, & Martinus Polonus in vita Gregorij V. Nauclerus quoque in Chronol. p. 2. Generat. 35. ac ceteri Iuniores. Et certe id ratio videtur ostendere; neque enim verisimile est, Germaniae Principes id ius concessisse, cum ad eos pertineret solum ius eligendi Germaniae Regem, non Regem Romanorum. Unde post Carolum Crassum, & Arnulphum ex familia

Caroli Magni Imperatores Romanorum, Germaniae Proceres Ludo. sicut Arnaldi filium, & Conradum è Franconia virum, & Henricum cognomento Aucti-  
pem, Saxonie, & Thuringie Ducem, filium Othonis Ducis, & patrem Othonis Magni Imperatoris, Re-  
ges Germanorum, non Romanorum elegerunt, teste  
Sigonio, lib. 6. de Regno Italiae an. 911. & 919. Item nullus Germaniae Rex fuit salutatus, & habitus Rex Romanorum; nisi quem Romani, sive Itali recepi-  
sent: & nullus est Imperator salutatus; nisi quem Romanus Pontifex approbat, vixisset, consecra-  
set, & coronasset. Item Imperator eligitur, & crea-  
tur ab commune bonum populi Christiani contra  
Hæreticos, Schismaticos, & Paganos, ut Ecclesia  
Patronus, Tutor, Defensor, & Protector, at Rorani  
Pontificis est talis ministerium seu Patronum delige-  
re; cum sit Christi Domini Vicarius: ergo Getma-  
niae Principes non poterunt sua auctoritate decer-  
nere, ut penes septem vitos esset ius & potestas Im-  
peratorem eligendi.

2. Probatur secundò nostra opinio ex his, que seruat Nicolaus Bellus de Pontificis discr. 1. vbi haec sit: Sequitur ex hoc ut Pontifex in rebus Imperii, multò magis se immiscere queat, ut pote quæ iuri Pontificij sunt, sedique Apostolicae immediate subiec-  
ta. Id autem probatur, quia Gregorius V. mme-  
riam Electorum instituit, quibus eligendorum Ca-  
satum facultatem concessit: Et quia quam authen-  
tica exempla Bullæ Aureæ, quam hac de causa edi-  
dit, profari nequeunt: nihilominus, cum ma-  
gnum suscepimus laborem, ut huiusc rei dilucidam  
veritatem competire, pleraque patentes litteræ  
cum eorum exemplaribus ad manus meas denuo-  
tis, quibus antiqui multi Electores exprefse fatebantur,  
quam se auctoritatem summis Pontificibus acceptam  
referre, quemadmodum in Arce Sancti Angeli in  
Thesauro, & in tribus libris, quibus titulus: Pri-  
uilegia Imperatorum: vide est: nec non in Biblio-  
theca Vaticana, vbi, exempla sunt desumpta ex iis;  
qua in Arce Sancti Angeli custodiuntur. Ex quibus  
clarè patet, Electorum auctoritatem, eorumque in-  
stitutionem à Sancta Romana Ecclesia dependere.  
Quæ, ut magis comprobentur, in medium affero,  
pro diuersis temporum occasionibus Electores à di-  
uersis Pontificibus eligendi priuilegio spoliatis esse,  
quemadmodum olim Ioannes XXII. id efficit.  
Sed & Leo X. Ducem Saxoniae priuauit, Clemens  
autem VI. electionem Caroli V. validam fuisse  
etiam absque eiusdem Ducis suffragio, sustentauit, atque  
asseruit, quemadmodum in libro quodam, qui co-  
rio rubeo integratur, cernere est; cui libro titulus,  
*Capitulationes Principum: & consuetutio in Pontificio Promptuario.* In registris autem Leonis X. & Cle-  
mentis V. II. in Archivio Cameræ Apostolice haec  
authoritas lucidius appareret, nam statim arque Rex  
Romanorum, vel Imperator electus est; Electores à  
Pontifice confirmationem petunt: sapientiusque cum Pa-  
pa consensu non praestitisset, ad nouam electionem  
deuentum est, quemadmodum in dictis libris, si dili-  
genter attendantur, obseruare est. Ita Bellus vbi supra;  
cuius verba etiam inuenies per extensum apud Adamum Contzen, *Politicorum*, lib. 7. c. 6.

3. Et tandem probatur tertio nostra sententia Te-  
stimonio ipsorummet Imperij Electorum Principum,  
dum ad Nicolaum I. I. publicas misere tabulas, qua-  
rum hoc initium est, Nos Principes Imperij Vniuersi-  
tatis præsentem paginam inspecturus. Complectens ab  
olim sibi Romana mater Ecclesia, quadam quasi  
germana charitate, Germaniam; illam eo terreno  
dignitatis nomine decorauit, quod est super omne  
nomen; temporaliter tantum præsidentium super  
terram;